

mus una cum ipsis in gloria dei gaudere et exultare cum omnibus Sanctis. Ipso adiuuante et concedente, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat trinus et unus deus per omnia secula seculorum. Amen.

Prebatus uero dominus Marinus abbas, cum adhuc uiueret et magna infirmitate ut dictum est pessime cruciaretur, de qua etiam et mortuus est, et ego astarem coram eo seruiens ei, precepit mihi, quatenus explanationem canticum canticorum bone memorie domni Bernardi clareuallensis abbatis scriberem, quod deo annuente festinus adimplere studui. Nam cum ipse adhuc uiueret, totum illud scripsi et compleui. (Ut supra N. III.) Eo uero defuncto successit in loco eius dominus Henricus abbas, qui precepit iterum mihi, ut prebatum librum, quem dominus marinus abbas precessor eius inceperat, usque ad finem scribendo perducerem. Cuius iussu omniumque fratrum ammonitione atque exortatione sepiissime animatus adimplere cura-

ui, et usque ad finem domino cooperante, a quo omne bonum sumit initium et fine concluditur, perduxit. Anno uidelicet dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. IIII<sup>o</sup>. die prima mensis augusti. indictione septima. Rogo itaque uos in domino fratres, quatenus istum librum cotidie legere studeatis et legendo corde retineatis, et corde retinendo opere adimplere festinetis. Lectio enim diuina assidue meditata perducit monachum ad summa uirtutum culmina. Si quid uero legendi ineptum in eo inueneritis, non noxam sed mihi ueniam tribuat, Deumque omnipotentem pro me miserrimo obsecrare non negletis dicentes: Deus omnipotens propitius esto illi miserrimo peccatori Amen. Ego enim licet indignus gratias illi ago, laudo et benedico, qui me hucusque sua immensa bonitate adiuuare dignatus est. Sit illi laus, honor et gloria. Cuius imperium sine fine manet in perpetuum. Amen.

Queris Opus Cuius. Nomen Marinulus Huius.  
Hec Ego Marinus Scripsi Non Peccore Pigrus.  
Celica Pro Scriptis Marinulus Postulat Istis  
Scripsit Hen (sic) Eminus Tribuit Quod Trinus Et Vnus.

Pulcre, bene, recte! Verum cur nomen Coenobii sui reticuit *Marinulus*, cui ordine praefuere Abbates *Johannes*, *Petronax*, *Marinus* et *Henricus* intra annos circiter 1149 — 74. Non indiligenter a me quaesitum detegit fortasse, cui ad manus fuerit *Aug. Lubini Ord. Erem. S. Aug. Abbatiarum*.

*Italiae brevis Notitia edita Romae 1693.*

CCCCXLII.

Codex membraneus lat. Sec. V. 93  
XIII. Folior. 57. 4. min. sat bene perscriptus, rubricis distinctus, et, ut tot alii, ab *Joh. Fabro Vien.*

Vien. Ep. Collegio suo ad D. Nicolaum donatus, continet PP. Sententias cum de Rebus dogmaticis, tum de moralibus lectas nullo certo materiae ordine. Initium fit a conciliatione quorundam Pauli locorum cum aliis Scripturae effatis. Ita: *Paulus Servus Ihesu Christi. Et in euangelio: Non dico uos seruos sed amicos. Et in alio loco dicitur Serui inutiles sumus &c. et iterum Beatus ille seruus &c. Quid est quod magister christus apostolos non dixerit seruos sed amicos et eiusdem magistri discipulus immo apostolus in quo christus loquebatur nominauit se seruum?* Et tunc sequitur *Solutio*. Praenotatur fol. praeced. manu, ut videtur, *Job. Alex. Brassicani: Antilegomena S. Pauli. Hippolyti interprete Epiphanio*. Verum quis Hippolytus iste, quis Epiphanius? Fol. 11. p. 2. tanquam deus ex machina comparet Abjuratio Berengarii Turon. facta in Concilio Rom. a. 1079. prout quidem extat in *Aetis* apud Labbeum T. XII. apud *Harduinum* T. VI. P. 1. verum inter verba: *ulterius docebo*, et *Sic me deus adiuuet &c.* interjecta sunt haec: *neque dubitabo, excepta causa reducendi ad uiam ueritatis qui per meam doctrinam ab fide recesserunt, aut exponendi fidem, quam haecenus tenui, his qui me interrogauerint; quae non alibi me legere memini.* Fol. 15. Pontificum Rom. quorum Patres Episcopi, Sacerdotes, aut Diaconi fuere, Indiculus textitur. Fol. 22. inter Maleficorum species *Salsifatores* memorantur, qui ex sal-

tibus (palpitationibus, spasimis involuntariis, *καλμοις*) membrorum futura perpendunt; quorum mentio apud Augustinum et Isidorum, alludentibus Theocrito et Plauto. Denique fol. 54. Schemata Alphabeti graeci et hebraici cum valore literarum numerali e *Rab. Mauro* inferta sunt, jam alibi non semel indicata. Codicum ejusmodi usus esse possit is, ut PP. loca cum Editis contendantur.

## CCCCXLIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 38 XIV. Folior. 379. f. min. per duas columnas caractere luculento, fatis exotico, multisque uocum compendiis exaratus, minio distinctus, olimque, ut praenotatur, *Collegij christi*, quod, nescio, an *Cantabrigiense*, an *Strigoniense* dicam, hujusmodi rubro insignitur: *Incipit manipulus florum siue extractiones originalium editus a magistro thoma de hybernia quondam socio de sorbona.* *Αυθολογία* sacris Oratoribus opportuna, multisque editionibus nota, quarum princeps *Placentiae per Jac. de tyela almanum 1483. f. min.* mihi adjacet. Autor neque *Franciscanis*, quod uoluerit *Waddingus* et *Willotus*, nec *Dominicanis*, quod praefert *Editio Veneta per Job. Rubeum Vercellens.* Sec. XV. f. a 4. respuit uero *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* accensendus, ex *Hibernia* oriundus, et a quibusdam, absque *Codicum* tamen testimonio, *Palmeranus*, *Palmerstonus* cognominatus, in confiniis Sec. XIII. et XIV.